A decorative border of repeating floral motifs, possibly snowflakes or stylized flowers, surrounds the central text. Each motif consists of a central flower-like shape with radiating lines and small leaf-like details.

Jos. Mik

DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

M A N I A

PUERPERARUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
MANIA
PUERPERARUM

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS ET SPECTABILIS DOMINI

D E C A N I,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS.


IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOSEPHUS MIK,

.. . , Moravus Hatscheinensis.



In theses adnexas disputabitur in aedibus Universitatis
die 3. Augusti MDCCCXXXII.

VINDOBONAE.

Typis Antonii de Haykul.

MDCCCXXXII.

CELEBERRIMO

A C

DOCTISSIMO

D O M I N O D O M I N O

CLEMENTI SCHWARZER,

ARTIS MEDICAE DOCTORI, ARTIS OBSTETRICIAE ET
OPHTHALMIATRICES MAGISTRO, CAES. REG. APOST.
MAJESTATIS CONSILIARIO, MEDICO STATUS MILITA-
RIS SUPREMI ORDINIS,

ARTIS OBSTETRICIAE THEORETICAE ET PRACTICAE, MORBORUM
GRAVIDARUM, PARTURIENTIUM, PUERPERARUM ET NEONATORUM
IN ACADEMIA CAES. REG. MED. CHIRURG. JOSEPHINA, PROFES-
SORI PUBLICO ORDINARIO, PERENNIS DELEGATIONIS REI MEDICAE
CASTRENSIS ASSESSORI.

V I R O
SCIENTIA, ARTE, HUMANITATE
AEQUE INSIGNI;
FAUTORI OPTIMO
PRIMA HAEC IN LITERIS CONAMINA
C E U
PERENNIS VENERATIONIS CULTUSQUE MOMENTUM
OFFERT

devinctissimus

Auctor.

Pr o ã m i u m.

*D*ata mihi occasio observandi morbum — qui, licet sat frequenter occurrit, vix a medicis hucusque, nisi aliquos excipias, accuratius pertractatus est — me invitavit, ut illum pro objecto hujus dissertationis proponam. Tempus vero, quum urget, et paucissima mihi prostant ex auctoribus haurienda: minus adniti licuit completum edere tractatum, quam potissimum eo acquiescere, ut amicos collegas in ultteriores attentos reddam hujus morbi observationes et indagaciones: utque sic officio

collegiali simul ac legi satisfaciam academicae
— benevolam caeteroquin expetens lectorum
indulgentiam.

Dabam Viennae 30. Julii 1832,

Auctor.



Peculiarem formam et singularem subinde decursum mania puerperarum offert, morbus medici attentione omnino dignus, a mania, quae et alios adgreditur homines, bene distinguendus: nec cum ipsa febre puerperali, aut cum delirio ipsi accedente est confundendus. Consuetim derivant medici hunc morbum a puerperio ipso praeparatum — et quidem aut a metastasi lactis ad cerebrum, a lochiorum suppressione, a sordibus gastricis, biliosis: quin caeteroquin de singularibus momentis, quae curam determinent, ullam faciant mentionem. Et tamen ab hisce momentis rite perpensis prosper conatum medicorum dependet eventus *).

*) Dorf Müller in Starb's N. Archiv über die Raserey der Kindbetherinnen, III. Bd. S. 58.

Dr. C. G. Neumann über Akuten des Vorstellungs - Vermögens. Cap, XIV. pag. 152. u. f.

Ex momentis, quae ad morbum praeparant et eum producant, dein ex ipsius decursu definitionem hujus morbi stabilire adnitar.

Jam sub ipsa graviditate repraesentationum confusiones se insinuant, quae vel ad dimidium graviditatis periodi, aut ab hoc ad partum usque, rarissime per utramque hanc periodum feminas molestant, et nonnisi directioni vis plasticae mutatae in corpore materno adscribendae sunt. Evanescent autem partu absoluto et vix igitur curam peculiarem sibi expostulant, quae ceteroquin difficilis foret, si reducere vellet medicus directionem vitae plasticae a foetu ad ipsam matris vitam, quin priori noxa inferatur. — Sub ipso partu momentosa interdum se adsociant nervosa symptomata; Eclampsia, convulsiones — deliria. Exstant imo exempla, feminas quasdam sub integro partus actu dementes fuisse et nec ullius momenti recordari potuisse, quo peracto stupent, et magnopere mirantur, se liberatas sentire a pondere in utero et videre in lecto juxta se prolem suam: certe momentum, quod infanticidas excusare possit.

Sed summi momenti respectu vis repraesentandi est puerperis tempus post partum. Hocce feliciter transgresso per plures dies praeter dolores posthucos et debilitatem nil bonae valetudinis sensum feminae turbat: ubera replentur lacte

sensim sensimque, lochia large et debite fluunt. Et in hisce diebus radicantur morbi subsequentes gravissimi, quum puerperae incolumitati suae praesenti confidentes varios errores admittunt diaeteticos. Etenim si plus cibi capit mater, quam officina digestrix — omnino per graviditatem praegressam et partum debilitata subigere valet, facillime se adsociare consuevit febris puerperalis cum delirio, quod tamen cum malo mox describendo nequaquam commutandum est. Jactatur autem animi pathematibus, abripitur sensationibus justo vividioribus — inquietudine, corripitur terrore: tunc magnum exstat periculum, ne Mania puerperarum vera salutem suam adgrediatur.

Febris puerperalis raro ante 6^{tam} post partum diem comparet, nisi secretio lactea, quae quarta jam die rite procedit, prius apparuerit. Mania puerperalis vero citius aegram adgreditur, praeparata per ipsam febrim lacteam: et hac ratione discernitur plane a reliquis maniae speciebus, quae, uti omnem hominem, etiam puerperas, imo facilius corripere possunt.

Errant, qui nonnisi de duabus puerperarum secretionibus requirendis loquuntur — datur tertia non minus necessaria, quae *sudor* est. Hic autem non apparebit, si sub phantasiae excitatione, aut summa aegrae inquietudine febris lac-

tea introit: haec dein evadit justo validior, cute sicca ac arida manente, deliriis accedentibus, oculorum splendore; et uno momento delirium in maniam furibundam convertitur. Aegra vociferat, furit, celerrime et repetitis vicibus unum idemque verbum exclamat, in summum abripitur affectum pro vel contra propinquos et adstantes, quibus omnibus supervenit pulsus tardior, procedentibus caeteroquin lactatione et locbiis — sudoris omni vestigio absente. Febris symptomata sensim evanescent, aegra vero — maniaca manet. Extra omne dubium positum est, cum hocce furore eminentem insensibilitatem nervorum systematis sympathici incedere, quin nervi sensuum externorum ab hac labe immunes se servare valeant. Nullam convertit attentionem in res externas, non curat, nec percipere videtur frigus — imo summum; nugis suis admiscet sermocinationes humiles, lascivas, obscenas et generatim stimulus sexualis multum exaltatus invenitur.

Hisce momentis se manifestat character maniae puerperalis, ex quibus nunc sequentem statuere mihi licebit morbi definitionem: „Est mania puerperalis morbus animae, quae potissimum symptomatibus appetendi facultatis a norma deflectentis stipata, cum reliquis maniae speciebus conscientiam et liberum arbitrium supponens sublatum, emansione sudorum febrina lacteam terminantium notata.“

Nomine hujusce morbi omnem quidem puerperae maniam vocant, sed absque jure : nam omnis causa occasionalis, quae alias maniam producere valet, eam etiam in puerperis excitabit; haec autem, quam definiti, mania certe per emansionem sudoris largi producitur, qui necessario, ut puerpera conualescat, febrim lacteam finire debet.

Desunt sufficientes experientiae confirmationes, sudoris, ex causis externis — frigore, humiditate et talibus quarta aut quinta die post partum suppressionem, maniae puerperarum provocandae parem esse. Sed si perpendimus, quod inter humiliores atque pauperes, inter feminas militibus nuptas in castris versantes, quae aëris vicissitudinibus diris expositae sunt, rarissime appareat haec mania: tunc causis internis prohibita sudoris eruptio ejusdem evolutioni favere videtur. His superstruere licet, non sudore retento vel suppresso maniam provocari, sed mania sudoris eruptionem cohiberi.

Expresse mentio facta est, sub hoc morbo secretionem lacteam et lochiorum fluxum consuetim pergere, licet — sub hac omnium activitatum revolutione — quoad quantitatem immunita: imo illis paulatim cessantibus nec minime morbi indoles et impetus mutatur. Consuluerunt quidam, licet prolem sinui matris admo-

vere nequaquam possibile est, lactationem sustinere: sed sub tali aegrae inquietudine et in lecto jactitatione media huic consilio congrua difficillime vel plane non adplicari possunt. Hinc cessat lactis secretio sine influxu ullo, uti dixi, in morbum praesentem. Hac ratione igitur solus sudor puerperarum in maniam oriundam influere videtur, vel saltem causa hujus sudoris cum conditionibus, maniam provocantibus cohaereat, est necesse.

In hocce nexu accuratius indagando nunc inhaerebo. — Sub ipsa graviditatis periodo nisus plasticus corporis materni ab hoc distractus et in foetum est directus. Haecce ratio vero mutatur subito foetu utero materno excluso; quia iterum omnis vitae plasticae nisus matri advertitur. Intestina utero antea gravido repressa et compressa nunc expanduntur, et pressio sublata minuit eorum nisum in contractionem.

Accedit simul nova, insolita secretio, febris symptomatibus stipata. In hac ipsa praevalent systemati capillari vasa arteriosa et venosa majora. Prouti nunc frigus febrile non aliunde ortum ducit, quam ex hac ipsa suppressa systematis capillaris actione, exaltata eodem momento vasorum centralium; aestus autem febrilis recedentem iterum exaltatam activitatem vasorum capillarum supponit: ita sudor symptoma sistit

in omni febris recedentis aequilibrum virium inter centralia vasa atque peripherica. Haec vero aequilibrum restitutio summi momenti est in puerpera, quoniam vita plastica abnormi ratione exaltata sine eo facile essentialia organorum formae mutationes causare potest, quales in febris puerperali observare licet, vel quia abnormis systematis cerebri actio timenda est.

In re ipsa vis plastica et vis repraesentandi, licet haec ab ipsa dependet, sibi sunt oppositae. Labefactio prioris sub graviditatis periodo, insolitam necessario provocat posterioris irritabilitatem. Haec quidem cum partu finem invenire deberet; sed partim dolores posthumi, partim animi motus sub conspectu neonati, partim tubi intestinalis sub ipso partu et nervi sympathici insignis debilitatio, sensibilitatem nimiam nervorum cerebralium et cerebri ipsius post partum sustinent, imo adaugent — exaltant. Si stimuli psychici systema cerebrale graviter tentant, fieri eo potest, ut subito hujus systematis vis et efficacia prae plastica exaltetur, et turbatum virium aequilibrium praedominantem repraesentanti facultatem — cum notabili vis plasticae labe — causet. Sudor, qui virium aequilibrium inducat, ex labefactata totius systematis vasorum energia, erumpere nequit. — Si posset, tunc etiam exaltatio nervorum cerebralium periphericorum magnopere imminueretur: nam sub

actione nervorum periphericorum et systematis capillaris se mutuo limitante, exaltata activitas posterioris etiam imminutionem activitatis priorum insequentem habere debet. Hinc sudor etiam exaltationem systematis cerebri compescit et ad normam reducit, quod etiam experientia comprobatum habemus, quae nos docet, quod febris abacta lactea, nimia puerperarum irritabilitas sedetur.

Secundum haec argumenta emansio sudoris sub febre lactea non causa sed symptoma status est, cui puerpera subjicitur. Symptomata hujus praecipua sunt sequentia, praeter siccitatem et haud notabilem cutis calorem:

a) totalis idearum confusio cum manifesta stimuli sexualis exaltatione. Ceteroquin in ipso furore nil est constantis: nonnullae saeviunt, aliae cum insolita hilaritate vociferant — aliae tacitae, morosae sunt, aliae eadem verba semper clamant.

b) Cum abolitione mentis febris una cum symptomatibus suis recedit.

c) Receptivitas pro stimulo multum imminuta; abnormis insensibilitas ventriculi — tubi intestinalis et cutis. Nam incredibiles doses remedium emeticorum et per alvum evacuantium

absque effectu manifesto ferunt; non sentiunt frigus, nec dolorem, quacumque ratione se furentes laedant:

d) Somni defectus; rarissime enim aegra per horam dormit, quin expergefiat aliquoties. Consuetim somnus levis brevissima temporis momenta durat. Ubi autem status hic in maniam transit chronicam, somnus quietior conceditur, sed numquam uti statu normali vel in aliis maniae speciebus:

e) Procedens lactis secretio et lochiorum fluxus, licet quantitate imminuta. Utraque secretio statuto recedit tempore, quin in animum aegrae influxus se inde manifestaret.

Cum mania puerperalis facile cum aliis puerperarum adfectionibus commutari possit, probe distinguenda est ab illis et quidem sequentibus:

a) a Mania, quae causis communibus et consuetis durante puerperio oriri potest. Puerperam uti quilibet alius homo a mania corripitur potest; est caeteroquin considerata qua vulnere notabili adflcta, quae ideo jam facilius, quam individua sana ab animi fortioribus impetibus consterni et libero mentis usu privari potest. Omnes feminae, quarum systema uterinum praevallet, vividiori etiam pollent phantasia, quam sanae: propterea

etiam facilius, quam aliae diversis succumbunt nervorum adfectionibus. Hinc non raro exstant exempla feminas puerperas terrore aut animi pathematibus validis in maniam incidisse.

Exempla duo exposuit Dr. Neumann *) de feminis, quae validis animi pathematibus correptae, furibundae evaserunt. Hae quidem sunt maniae in puerperis: a puerperali autem, de qua tracto, probe distinguendae, quum haec, loco sudoris critici febris lactea exantlata, quinta aut sexta die puerperii subito intret, quin animi pathema illi obtulisset causam.

b) Distinguenda est a delirio, febris, qua puerperae corripuntur, superveniente. Et cum hocce delirium plane quid peculiaris habere solet: caveat sibi medicus, ne credat, se cum mania puerperali agendum habere, ubi non adest. Febris lacteae superveniens delirium est validum, manifestans se odio vel amore erga personas certas, visione phantomatum, metu mortis; delirium sub febre puerperali est furibundum. Demens furor atque clamor durat, usque vox acuta et sibillans fit, quam dein deliria excipiunt placida — prodromi mentis alienationis et abolitionis — non amplius reparandae. Simul a delirio mania haecce distinguenda est eo, quod abs-

*) In opere citato pag 163.

que feбри incedat, imo, quod mania ingruente febris abigatur, porro duratione sua.

Decursus maniae puerperalis sequentibus red-
ditur singularis : quod subitaneas et cito versantes
mutationes manifestet; quod natura non sufficiat ad
illam subigendam et consuetim a prima vehemen-
tia feroci in maniam magis placidam transeat,
quae aegram non amplius deserit. Arte tamen
saepius jam est sanata — saepius et citius quam
reliquae maniae : etiamsi chronica evasit. Obser-
vationibus confirmatum habemus, eam tolli nova
interveniente graviditate, cui promovendae etiam
insignis aegrarum ad coitum nisus favet, qua
comparente mania silet et cedit. Sunt feminae,
quae in pluribus puerperiis maniacae fiant, ad
quod non parum metus jam semel in praecedente
puerperio perpassi morbi confert. In plurimis
autem non amplius — etiam insequentibus pluri-
bus partibus — regreditur, modo sublata semel
fuit. Proles ejusmodi matrum bona fruuntur va-
letudine, nec morbi hujus haeredes fiunt.

Durante hoc morbo jam aliquot hebdomadas
post lochiorum cessationem, non solum aegrae
manifestationes, sed et vitae vegetativae status
mutatur. Nam insultus nunc raro et per breve
tantum tempus ingrediuntur cum ferocia et vehe-
mentia juncti; plerumque autem abrupte loquens,
et morosa decumbit, pallescit, manifeste emacia-

tur, musculorum robore simul decrescente. Si cum tabe autem febris hectica comparet: tunc ejus sanatio vix umquam speranda est, cujus tristis eventus ipsa saepe therapia initio morbi instituta, causa esse potest. Ubi autem cum materiae organicae restitutione ipsae etiam vires incrementa capiunt, etiam mentis sanatio facillime procedet. Ipsa mania aliam induit naturam: recedunt conscientia, memoria, agnoscit aegra adstantes personas, loquitur per vices cum attentione et nonnisi rarius in morositatem, in animi affectus violentos incidit et confusis agitatur repraesentationibus. His superveniunt tandem menstrua, quae consuetim serius quam post normale puerperium redire solent. Sanitas tandem eo incre-scit, qualis in gravidis relative normalis est dicenda. Nihilominus remanent a mania — sine artis interventu — magna violentia, omni data occasione se manifestans — perversio repraesentationum — garrulitas vana, amor nugarum infantili-um, imo saepius remanet impudentia.

Cura secundum diversas hujus mali periodos diversa est. Facillime et bono eventu instituenda est statim sub initio; plures offert difficultates aliquot hebdomadibus ab ortu jam elapsis; aliter penitus erit instituenda, si aegra jam tabescit: difficillima est, morbo jam in habituales transgresso.

Curam initio morbi statim adgredienti sequentia sunt de morbi indole et ortu in memoriam revocanda: Oritur mania puerperalis, si, processu vitali plastico in feбри lactea magnopere exaltato activitas systematis nervosi in centro suo subito tantum energiae lucratur, ut non solum systema vasorum ratione illius habita minus efficax reddatur et supprimatur, sed etiam omnes reliqui systematis nervosi partes eo magis de activitate sua deperdant, quo magis et potentius cerebrum omnem sibi vim usurpat: loco ut systema vasorum, cujus activitas prius exaltata fuit, cum periphericis nervis et in diversis suis partibus in aequilibrium ponatur — quod sudore fit, haecce activitas uno impetu cerebrum exaltet: praevalet cerebrum — subordinatum est systema vasorum. Inde sequitur, duplicem patere viam ad medelam instituendam: una adgreditur cerebrum, hujusque actionem immodicam directe moderare praecipit; altera hocce jubet indirecte instituere: extollendo nimirum systematis sanguiferi activitatem. Quoniam autem indicationes haec remedia expostulant e diametro sibi opposita: quae igitur sunt eligenda? — Hic non nisi symptomata praesentia nos ducere possunt: manifestant haec majorem impetum sanguinis ad caput, et nos timere sinunt transitum morbi in mentis abolitionem vel paralytin: oportet tunc remedia talia applicare, quibus certissime vitae praecaveatur periculum. Si igitur fronte ardente oculi sunt

splendicantes, protrusi, conjunctiva eorum rubet, pulsus si est magnus, plenus, et si simul violentia aegrae multum increvit: prae ceteris localis sanguinis depletio per hirudines — ad minimum viginti — ratione individui habita, est instituenda, et quidem ad frontem et nucham. Aegra ad locum transferatur obscurum et remotum ab omnibus, quae illam excitare possent. Servitio illius semper eadem maneant personae destinatae — nec infans illi admoveatur. Concedatur illi balneum universale — tepidum, quod temperaturae 29° R. medium sistit admodum conveniens et efficax: etenim non solum compescit nervorum agilitatem, sed cutis — antea sicca et arida in transpirationem prona redditur, quae hoc in casu necessaria apparere debet, si aegram citissime vitae periculo eripere, et in eum statum reducere volumus, qui feбри lacteae est proprius; diaeta sit eadem, ut in febribus inflammatariis. Interna remedia vix manifestum et salutarem exserent effectum: interim convenit nitrum dosibus parvis ingestum, qua ratione effectus illius in cutem est sperandus. Si — cessante sanguinis ex hirudinum adplicatione stillicidio — congestiones ad caput adhuc remanent, fructu sunt adhibenda epithemata frigida capiti imponenda, usque dum iterum adplicatio hirudinum necesaria foret. Venaesectio in morbo tali, cujus essentia in eo consistit, quod excitata antea vitalitas in systemate vasorum subito concidens, revolutionem quamdam in cen-

tro systematis nervosi produxit — numquam convenire potest.

Sunt autem congestiones ad caput non tam validae, ut inde periculum aegris instaret, aut desunt plane: est ceteroquin pulsus suppressus, tardus, cutis sicca, frigida tangenda, frons non magis calens, quam reliquum corpus, et si secretiones puerperarum procedunt — licet parciores, quam prius — tunc cum fructu instituenda erit therapia priori opposita. — Hic nempe systematis sanguiferi vitalitas est solicanda, ut hac ratione secretio revocetur, quam natura qua crisin febris lacteae requirit, et qua simul aequilibrium inter systema cerebrale et sanguiferum restituatur. Quo citius huicco occurrit scopo medicus, eo facilius eum assequetur: et hac ratione morbum potius praecavebit, quam sanabit. — Adlicita crisi febrili lacteae solenni, transitus hujus in systema cerebrale perniciosus simul tolletur.

Huic indicationi omni ex parte respondet praeceteris *Camphora*, quoniam systematis vasorum activitatem tam manifeste immutare valet: elevat pulsum, pleniorum et fortiorum facit, secretionibus diversis simul expediendis — praecipue cutis — favens. Adscribitur illi singularis vis in genitalia, compescens eorum agilitatem nimiam. Hac ratione hic locorum, ubi genita-

lium status omnino exaltatus adparet, quem lascivitas deliriorum manifestare videtur, eo magis est aestimanda. Contigit medico Camphorae applicatione sudores provocare, tunc repraesentationis facultas aegrarum eadem in ratione libera redditur, qua sudor prorumperit, et morbus primo statim initio et cito tolletur. Quo citius Camphora, statim post maniae introitum abhibetur, quo majores, convenientes applicari possunt doses, et quo magis aliae circumstantiae crisis solennem expediunt, eo plus et citius bonus sperari potest eventus. Majores Camphorae doses adhibentur, quum morbus hic cum insolito nervorum incedere solet stupore, et hinc minores doses inanes sunt. Propterea nec leviora diaphoretica frustra sunt tentanda. Multum ad sudorem provocandum juvabit acetum, praecipue cum potu theato calido mixtum, si aegra non rospuit.

Balnea nonnisi summa circumspectione sunt commendanda ac concedenda: calida quidem cito et certe sudorem adjuvant, sed congestiones consuetim ad caput causant — egelida scopo huicce penitus repugnant. Balnea caloris 29 — 30° R. optime convenirent, si cum hac circumspectione adhiberentur: ne aegra balneum potendo vel inde excscendo refrigerium capiat, quod tam tacile fieri potest.

Multo majorem circumspeditionem exigunt emetica: primo enim admodum arduum est in his aegris emesin ciere. Doses emeticorum consuetae ad ciendum vomitum non sufficiunt: et fortissima statim et magnis dosibus exhibere emetica puerperae quarta aut sexta die post partum, quilibet circumspectus medicus dubius haerebit. Secundo, tali dosi adhibita remedia emetica multo facilius diarrhoeam quam vomitum causant, et haecce, ubi systema sanguiferum et imprimis transspiratio cutis est sollicitanda, cautissime praecaveatur. Tertio, omne emeticum congestiones ad cerebrum causat, quae hic quam maxime nocent. Licet igitur emetica celerrimè et tutissime cutis functionem sollicitarent, tamen initio puerperae non sunt concedenda.

Eadem ratione aestus aëris nimius, et vestes uti et tegumenta admodum calefacientia — non nisi nocere possunt, congestiones pari modo ac balnea calida ad encephalum causantes. Sit potius cubile, in quo aegra decumbit ab omni externo strepitu remotum, obscurum, temperatura aëris, saepius renovandi, moderata; porrigatur illi potus theatus tepidus cum aceto vini, et Camphorae doses majores, pro individualitate aegrae ad decem — viginti grana, ipsius semper morbi indolis ratione habita. Haec dosis Camphorae post sex horas est repetenda, si absque effectu prima fuit. Involvantur extremi-

tates inferiores panno laneo, aquae fervidae immerso et dein expresso; impediatur aegra, ne inquieta in lecto se jactet, alligando illam lecto, si verbis non potest compesci. Hisce conatibus fere semper fit pulsus vividior, major; cutis humida; lectatio uberior — animusque aegrae magis placatus. Subintelligitur etiam, quod cum aegra non multi sermones sint habendi: minime vero iis contradiscere vel contendere juvat, quod illam nonnisi ferociorem reddit. Loquatur — nugetur de quibuscunque, redeunte sanitate et libero mentis usu, omnes vesanae manifestationes eo ipso silebunt, ad quas quidem attendere licet; medicus se de ea sollicitum ostendat, sed nulla colloquia cum illa sustineat. Durantibus lochiis semper adhuc spes adest, fore ut sudore provocato morbus cito tollatur. Rariores sunt casus, ubi hae crises solennes — morbo per plures dies vel hebdomadas durante, in aegrae salutem conversae fuissent: licet tamen exstant; frequentiores sunt, ubi primo statim initio eas provocare contigit. Puerperio autem exantlato diaphoreticorum applicatio frustra tentatur. Tunc autem quoque status repraesentandi facultatis magnopere mutatur. Primaria enim deliriorum vehementia et atrocitas recedit, et aegra conscientiam paulatim nanciscitur, loquitur perspicue de diversis rebus, quibus autem iterum perversas et vehementes immiscet sermocinationes: praecipue de nocte, qua quidem nunc somno

tranquilliori fruitur, quam initio, sed numquam per plures horas, nec absque somniis, jactatione in lecto et aliis; aut quin verbum loquatur, tristis desidet, infantum more plorat, nugatur — alvum et urinam in lectum et vestes mittit — anxietate et timore vexatur. Sub primo statu vires corporis vix decrementum capere solent; aegrae obambulant, sumunt cibum et potum, larga saepe quantitate et cum aviditate; in actionibus et verbis sunt vehementes: altero vero casu aegrae emaciantur, ad vespervas febricula se insinuat, et hac ipsa magnum vitae ejus periculum inducitur.

Utroque in casu mania puerperarum aliam sibi exigit medendi rationem, quam reliquae repraesentandi facultatis morbosae species. In primo casu, licet aegra in repraesentationis manifestationibus cum reliquis maniacis convenit, tamen vitae plasticae manifestationes aliae sunt, quod demonstrat torpor adhuc constans in tubo intestinali, qui paucis maniae speciebus convenit. Ex hac praecipue causa cura imprimis est dirigenda in tubum intestinalem — et quidem eum stimulando. Quousque contigerit torporem nervorum intercostalium tollere, eousque sperare licebit, fore ut nimia systematis cerebri exaltatio imminuatur, et sic in singulis systematis nervosi partibus aequilibrium redeat. Remedia, nauseam cientia, tali dosi, ut hanc provocent,

imo et emetica plena dosi adhibita huic sufficiunt scopo: ast ultima non saepius sunt reiteranda. — Alter casus locum habet, si enertia nervi sympathici, quae per ejusdem torporem se adnuntiat, eoque exaltatur, ut processus nutritionis rite procedere non possit. Memoratu dignum est, organa digestionis saepe normaliter functionibus suis praesse, licet nervorum sensibilitas imminuta est. Sed huic nervorum potestati, nimirum, labefactata quamquam actionis suae energia — tamen functiones suas perficendi, limites sunt praefixi et circumscripti: transcendit torpor certum, non arctius determinandum gradum, tunc digestio languet, oritur emaciatio, virium prostratio — imo febris lenta.

Etiam hic therapia est instituenda, quae digestionis organa stimulet, sed aliis remediis: quoniam nausea et vomitus adhuc majus ciborum assumptioni opponeret impedimentum. Eligenda sunt hunc in finem remedia digestionis officinam roborantia, ut hac ratione aegra appetitu ad cibos summandos cogatur. Huc pertinent roborantia amaro - aromatica, quibus remediis adsocianda est diaeta blande nutriens: hinc juscula carniū, ova sorbilia, mucus vegetabilis, carnes, fibra tenui et marcida instructae. Cortex peruvianus praecipue hic est commemorandus, ubi febris ingruit hectica: sed semper habito ad digestionis officinam respectu, ne eo nimis gravetur: hinc

aromaticis est conjungendus remediis. Contigit medico hisce aegram nutrire — ut materia organica et vires restaurentur, tunc plerumque perfecta subsequi solet sanatio.

Sanatio sese adnuntiat per somnum non interruptum et quietum, sub quo praecipue cutis transpiratio adaucta observatur; quem somnum etiam arte provocandum esse — asserit Neumanu — ad promovendam sanationem, si sponte redire non velit. In mania puerperali praecipue convenit opii usus, sed non nisi in ultimis ejusdem periodis, ubi menstruatio jam aliquoties rediit et nullae congestiones ad caput inde sunt timendae. Ne autem inquietudinem potius augeat quam tollat, dosi est tali porrigendum, ut vim exserat narcoticam. Ad hoc pertinent in ejusmodi aegris doses multo majores, quam alias exhibetur opium — ad grana decem — duodecim. Optime procedetur, si aegrae tamdiu omni hora exhibetur granum, usque dum effectus optatus ingruerit. — Remedia, quae in aliis maniae speciebus tam salutare se praebuerunt, maniae puerperali non conveniunt — imo nocent, uti balnea frigida — doloris excitatio et plura alia.

THESES DEFENDENDAE.

1.

Medici, naturae methodum ignorantes, gravissimos in praxi comittunt errores.

2.

Febres puerperarum acutae semper pessimae sunt indolis.

3.

Qui animi pathematibus mature frenum injicere novit, is magnum ad sanitatem conservandam possidet arcanum.

4.

Cuniarum nimia agitatio, ad somnum adliciendum, infantibus magis nocet, quam prodest.

5.

Amoena conversatio egregium est remedium.

6.

Omnes morbi periodice recurrentes vel sunt nervosi, vel saltem in nervis focum agnoscunt.

7.

Organa sexuali in fluxum constitutionis epidemicae vix unquam experiuntur.

8.

Non morbi, sed diatheses morbosae tantum haecreditate adquiruntur.

9.

Monstrum et turpitude non sunt conceptus identici; existunt enim etiam monstra formosa.

10.

Nihil medicinae perfectioni magis obstat, quam unam pertinaciter sequi sectam.

11.

Dualistica morborum divisio in asthenicos et hypersthenicos omni intuitu manca.

12.

Puerperium medico non indiget.

